

stamento obscuriora & fere typica tan- A
tum fuerint omnia; In novo omnia sint
clariora & res ipsæ. Sic placuit Deo Ec-
clesiam rudimentis paulatim ad plenio-
rem cognitionem, ab aurora ad perfe-
ctiorem lucem perducere.

2. Non inanes sunt repetitiones man-
datorum & promissionū in verbo Dei,
sed S. S. nostræ infirmitatis rationem
habuit, vt in cognitione & fide minus
vacillemus. Diligenter igitur in scriptu-
ris priora cum posterioribus, & hęc cum
illis conferenda sunt: vt incrementa gra-
tiae Ecclesiæ paulatim exhibitæ intelli-
gentes, pro ea luce, qua nos præ veteri-
bus dignatus est, tanto magis grati si-
mus. Hic quæstiones aliquot expedien-
dæ sunt.

Q V A E S T I O P R I M A : Quomodo
Abram omnem terram videre potuerit:
& si non omnem videre potuit, an non
plus promiserit Deus, quam Abram vi-
di: cum dicat Deus: *Omnem terram,*
quam tu vides? **R e s p o n d.** Ex edito monte
longe lateque perlustrare potuit oculis
circumiacentem regionem. Forte & De-
us miraculo intendit ei oculorum aci-
em: sicut Mosi ex monte Nebo in plani-
cie Moab vidit totam Cananæam Deu-
ter. 34.1. Sin autem, non intelligendum
est tamen de terra angustiis horizontis
sensibilis terminata: sed de tota intra-
quatuor plagas prius nominatas con-
tentā. Ideo non tantum iubet eum ocu-
lis videre, sed etiam perambulare secun-
dum longum & latum. Est emphasis in
verbis: **H A' N C O M N E M T E R R A M:**
q.d. non eam tantum, in qua nunc es, &
quam oculis lustrare potes: sed etiam e-
am quam Lot sibi elegit, & tibi præri-
puisse videtur. Pentapolis enim cis &
ultra Iordanem pars fuit Cananææ O-
rientalior: multoq; longius Orientem
versus ad Euphratem vsq; se limes pro-
missæ terræ extendit, vt c. 15.18. sequitur:
*Dabo tibi hanc terram à flumine Misraim, vs-
que ad magnum flumen Perath.*

Q V A E S T I O S E C U N D A : Cur A-
bramo promittat: *Tibi dabo*, cum ne latū
pedē possederit, nisi quod infra pretio
emit in Hebron? **R e s p.** Quod ad Abra-
ham intelligatur de iure, quod Abramo
in præsentia confertur à Deo: & sic futu-
rum verbum vim habet præteriti: *Dedi*
vel *Do*: vt plerunque: De possessione ve-
ro quod ad posteros, quos suo tempore
mittere in possessionem Deus decreue-
rat. Prius enim oportuit tolli indigenas
gentes: & vt iuste tollerentur, oportuit
B eas prius implere mensuram suam, sicut
dicetur infra c. 15.16. *Nondum completae e-
rant peccata Āmoræorum.* Et sic verbum
est vere futurum. Notanda vero hic re-
gula, quam obseruat Chrysostomus in Mat.
2. explicans quæstionem, an dictum O-
seæ 11. Ex Āgypto vecavi filium meum, ad
Iudæos, an vero ad Christum pertineat:
Prophetias & promissiones aliis dari, &
aliis impleri: seu non semper impleri in
iis, quib. dantur, sed in iis propter quos
illis dantur: vt cap. 12.3. *In te benedicentur*
C omunes gentes. Gen. 27.29. *Esto Dominus fra-
trum tuorum, & adoren te filij patris tui.*
Gen. 49.7. **D e Simeon & Leui:** *dividā eos*
in Iacob, & dispergam eos in Israel. Ita hic:
Dabo tibi & semini tuo: Itaque particula
& videtur exegetica.

Q V A E S T I O T E R T I A : Quomodo
promittat terram semini usque in seculum:
cum tandem à Babylonis posteritas A-
brami inde fuerit electa: post restitutio-
nem vero à Romanis Tito & Adriano
penitus inde exturbata, vt iam sit domi-
ciliū non seminis Abrami: sed Tur-
carum & barbarorum. **R e s p.** Particula
δὲ non semper in scripturis significat
absolutam æternitatem, principio & fi-
ne carentem: vt cum Deo tribuitur Ps.
90. *A seculo in seculum tu es Deus.* Psalm. 45. Aug. q. 31. in
Thronus tuus in seculum seculi. &c. Sed saepè Gen. 1.16.
longissimum tempus, terminatum ta-
men: vel anno Iubilæo, vt Exod. 21.6.
Deut. 15.17. Seruus nolens exire septimo anno
seruiat in seculum; quod astringitur ad Iu-
bilæum;

Ttt. 3; bilæum;